

corpus imperfectum in Solem & Lunam, quæ melior  
haberi non potest.

*Epilogatio totius.*

Dico ergo totius Operis summa non est aliud, nisi ut  
sumatur lapis in capitulis librorum notus, & cum ope-  
ris instantia assiduetur super ipsum opus sublimationis  
primi gradus, ut à corruptente mundetur impuritate.  
Deinde cum ipso soluto subtilietur ipsius addimen-  
tum album vel rubeum, donec in ultimo sublimatio-  
nis modo volatile fiat.

Adhuc verò cum fixionis modis figatur, donec in  
ignis asperitate totum quiescat. Deinde verò fixam  
partem cum non fixa parte reseruata per modum solu-  
tionis & sublimationis volatilem facias, & volatile si-  
xum, & fixum solutum; ac iterato volatile, & volatile  
fixum, quo usque fluat, & alteret in complemento so-  
lifico & lunifico certo. Et hoc modo operatur arcanum  
preciosissimum super omne Mundi precium precio-  
sum, omniumque Philosophorum thesaurus incom-  
parabilis.

INCIPIT SEMITA  
SEMITÆ.

*Et est tractatus brevis & compendiosus  
simul, & utilis intelligenti, in quo principi-  
liter pro parte prodit lapidem vegetabi-  
lem ab alijs penitus absconditum  
subtiliter intuenti.*



EVERENDÈ pater, pias aures inclina, & in-  
tellige quod Mercurius est sperma omnium  
metallorum decoctum, & imperfectum in  
ventre terræ calore sulphurco, & secundum  
varietatem sulphuream ipsius, metalla in  
terra generantur diuersa. Et sic ipsorum primordialis  
materia